



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **PORTUS PRINCIPIS IN**

**PHILIPPINIS**\* VICARIATUS APOSTOLICUS CONDITUR PORTUS PRINCIPIS IN PHILIPPINIS Diligentem sane curam continenter adhibemus ut Evangelii nuntii et Domini salus omnia loca contingant et quam plurimas gentes afficiant. Quapropter nullam Nos interponere moram volumus quin cuncta disponamus ut hoc facilius commodiusque accidat. De consilio igitur Congregationis pro Gentium Evangelizatione, iis quoque quorum interest rogatis sententiam, haec statuimus et decernimus. Parte meridiana et centrali Vicariatus Apostolici Palavanensis distracta, novum Vicariatum Apostolicum condimus *Portus Principis in Philippinis*, Vicariatu Apostolico adhuc dicto Palavanensi extincto. Novum conditum Vicariatum Apostolicum pastoralibus curis concedimus Ordinis Augustinianorum Recollectorum. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Antonium Franco, Archiepiscopum titulo Gallesinum et in Philippinis Insulis Apostolicum Nuntium legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime officientibus quibuslibet. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo septimo mensis Martii, anno Domini bismillesimo secundo, Pontificatus Nostri quarto et vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

CRESCENTIUS card. SEPE

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot.*

*Apost.*

---

\*A.A.S., vol. XCIV (2002), n. 9, p. 556 © Copyright 2002 - Libreria Editrice Vaticana